Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 185
Quelle:
Copyright:

ria. En igitur aliud Exemplar e nostra *Moravia.* Praescripsit fronti ejus manus paullo recentior: *Prologus Boneuenture hic deficit, et exposicio eiusdem est in veritate.* Non plane cum ratione; adest enim posterior Prologi pars ab iis verbis: *Verba Ecclesiastis. Iste totalis liber diuiditur in initium seu prohemium in tractatum qui incipit ibi. Vanitas vanitatum, et epilogum, qui incipit ibi. Cumque esset sapientissimus Ecclesiastes* &c. quae leguntur edit. *Lugd.* p. 297. ubi prave *talis* pro *totalis.* Extrema consentiunt, quibus adjectum a Librario: *Anno incarna. 1346.* Obiter mirari subit, Editionem mox citatam a *Fabricio* ignoratam nequidem a *Mansio* in Subplementis notatam fuisse. Novam se Editionem moliri scripsit *Luc. Waddingus* in *Bibl. O. M.* p. 81. et fortasse *Lugdunenses* anno 1657. extincti adparatu usi sunt.

CXXII.

U. 472 — 85 Codex chartaceus lat. Sec. XIV. Folior. 230. f. orditur Seriem Voluminum hoc et sequente Sec. exaratorum, quibus continentur *Commentaria Henrici de Hassia* primi cum *Henrico de Oyta* sacrorum in Academia *Vindob.* Studiorum auspicis *in Librum Geneseos*, quaeque hic visum est in unum colligere, prout illa vidit et *carnosissima* compellavit D. *Joh. Eckius* anno 1516. in Epistola ad Episcopum *Eichstadiensem*, quam *Conspectus Hist. Univ. Vien.* exhibet P. sive *Sec.* II. p. 88. Et primum quidem istud *Volumen* in anteriore Theca haec refert: *Istum librum dedit Magister Haynricus de hassia Doctor Sacre Theologie qui in principio fundacionis huius Collegij huc vocatus fecit hic multa bona. Cui deus retribuat vitam eternam Amen.* Continet porro duplicem illum *Prologum Biblicum*, quo plurimum exponitur *Epistola ad Paulinum*, et *Praefatio ad Desiderium Hieronymi*, quemque jam *Cod.* alio hic indicavi, atque hunc excipiunt ipsa *Commentaria fol.* 115. hoc initio: *In principio creauit Deus celum et terram* &c. *Hoc verbum introducens S. Augustinus vndecimo de civ. Dei c. 3°. ita dicit. Quod deus fecit mundum nulli potius credimus, quam ipsi deo* &c. Abrumpuntur in C. I. v. 14. his verbis: *Hec Ambrosius, que alias eciam partim tetigi;* monet tamen Librarius Continuationem sequi.

Volumen II. (Cod. 476) aliud est *Commentariorum* Exemplar ab initio pertingens usque ad C. I. v. 24. et desinens: *quinte diei vel quinte ferie. Tunc sequitur ultima pars huius primi capituli genesis.* Additum: *De manu M. Pauli.*

Volumen III. (Cod. 477.) est Continuatio prioris incipiens: *Et vidit Deus quod esset bonum et ait faciamus hominem. Sicut in precedentibus patuit ista litera Et vidit Deus quod esset bonum dupliciter legi potest* &c. et desinens: *permissus est ingredi paradisum Dei serpens ille callidissimus, de quo sequitur in litera. Sed et serpens erat callidior.*